

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2072

**Auteur(s) :** Raoul II de Cierrey, Évreux (évêque)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1239

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Raoul II de Cierrey, évêque d'Évreux, en contestation avec l'abbé et le monastère de Saint-Taurin, à l'occasion du droit de procuration qu'il réclamait, transige avec eux, moyennant cinquante livres tournois employées à acquérir à Condé une rente suffisante pour tenir lieu de ce droit.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLXX, p. 205-206.

Texte établi d'après a

Universis Xpisti fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Radulfus, Dei gratia, Ebroicensis episcopus, salutem in Auctore salutis.

Cum inter nos, ex una parte, et viros religiosos Willelmum, miseratione divina, abbatem et conventum Sancti Taurini Ebroicensis, ex altera, contencio verteretur super eo quod nos in manerio dictorum abbatis et conventus de Loviers, de jure et possessione procuracionem nobis deberi dicebamus, prout credebamus, dictis abbate et conventu contrarium asserentibus et proponentibus, quod si qua procuratio ibidem aliquando prestita fuit de de facto, non ex debito, sed ex gratia prestita fuerat. Et tandem cum, habita debita deliberatione, in magistrum Ricardum, tunc officialem Ebroicensem, sub pena centum marcharum argenti, concorditer compromissemus quod ejus statuto vel ordinationi in hac parte pareremus ; cumque inter nos et dictos abbatem et conventum, coram dicto officiali in predicto negocio esset aliquandiu processum, et die ad hoc assignata paratus esset idem officialis diffinitive pronunciare, et nos, habito consilio virorum bonorum, cum dictis abbate et conventu taliter concordassemus ; quod pro dicta procuracione quam in dicto manerio de Loviers nobis deberi credebamus et nobis reddi petebamus, quatuor libratas currentis monete annui redditus conferrent nobis idem abbas et conventus, reddendas nobis et successoribus nostris a dictis abbate et conventu singulis annis ad Natale Domini, quousque quatuor librate annui redditus nobis essent per eos assignate. Et nos a petitione procuracionis in dicto manerio de Loviers, assensu et voluntate decani et capituli nostri, dictos abbatem et conventum pro dictis quatuor libratibus annui redditus omnino quietaremus.

Nos cum dicto abbate, sui conventus procuratore ad hoc constituto, apud Condey in festo Trinitatis convenientes, quinquaginta libras Turonensium pro assignatione dicti redditus recepimus, et ex dicta pecunia quatuor libratas annui redditus ad usus nostros et successorum nostrorum apud Condey comparavimus ; dictos abbatem et conventum de procuracione petita et quatuor libratibus redditus prout superius est expressum, de assensu et voluntate capituli nostri, perpetuo nobis et nostris successoribus quietantes.

Et ut hoc firmum et stabile in perpetuum maneat, presens scriptum sigilli nostri, nec non sigilli capituli nostri, huic facto presenti assensum munimine duximus roborandum.

Datum anno Domini M° CC° tricesimo nono.